

DE CHRONOCRATORIBVS.

De Venere Chronocratore.



VENVS decennij domina, coniugales affectus maxima releuat gratia uenustatis, sed & lætitiã summa cum securitate decernit, & ita genitum uxorium efficiet, aut mulierem connubio iunget stabili, propriamq; dicabit.

Chronocrator cum Venere, Saturnus, aut cum muliere graues dissensiones sua indignatione peragitat, aut ab uxore, uel morte, uel repudio, aut similitudinibus quibusdam separat.

Rex temporis cum Venere, Iupiter, bonum quidem tempus, & lætum decernit, sed ex amore quasdam infamias in eo, uxorem quoq; aut perpulchram sobolem præstabit.

Imperans cum Venere, Mars, multa mala, & frequentia dolorum minatur incommoda, tunc etiam animum uarijs amorum illecebris semper exagitat, & propter amoris, aut zelotypiæ dura tormenta, grauem animi dolorem semper imponit, ita ut propter hæc errantis animi uitia, etiam causarum discrimina frequenter accedant, turbæ etiam & pericula propter uxores pessimas, aut ab eis inferuntur, aut enim adulterij crimen exurgit, aut amor quidam impura, ac inhonesta cogitatione conceptus.

Regnans cum Venere Sol, homines faciet suas fugere semper uxores, aut cum eis diuortium excitabit, & hoc cum capitis periculo, patrimonijq; iactura. Si uero prosper Iouis radius accesserit, ijdem peregrinationis necessitatibus separantur.

Cum Venere factus Chronocrator Mercurius, omnia negocia prospero euentu compleri efficiet, frequentia etiam lætitiæ gaudia præstabit, lucra quoq; maxima conferri faciet, ac idonea subministrabit subsidia facultatum.

Cum Venere gubernatrix effecta Luna, omnia foelicitaris genera præstabit mulierum patrociniõ, à populo honores, uxorem quoq; & prolem dabit formosam, lucrorum copiosa præsidia, claros honores, & omnia bona ex assidua foelicitate decernit.

De Mercurio Chronocratore.



MERCVRIVS cum temporum dominus fuerit, omni hoc tempore omnia bona assiduis foelicitatibus decernuntur, & omnes actus prosperi sequuntur euentus, presertim si generalis dominus fuerit, & bene collocatus.

Sed cum Mercurio tempore præfectus Saturnus, fortunarum iacturas & domesticorum mortes ex assidua infortuniorum calamitate decernit, ut parentum, affinium, patronorum, & qui nobis prodesse consueuerunt.

Cum Mercurio regnans Iupiter, dies sanè quietos, & ab omni negociorum strepitu separatos largitur, atq; in hac ipsa quiete, maxima laudis, commoda & lætitiæ gaudia semper accommodat, filios etiam non habentibus (si geniturae ratio permiserit) omni ratione decernit.

Cum Mercurio imperans Mars, inimicos suscitabit, accusationes inferet, litesq; ex noua denunciatione suscitabit, quas tamen bonum Iouis aut Veneris testimonium mitigabit.

Dominium temporis sortitus cum Mercurio Sol, ac malè affectus, maxima patrimonij damna, & maximas animo sollicitudines semper inducit. Si uero uterq; fuerit in themate foelicitè collocatus, diuitiarum & horum incrementa donabit.

Gubernans tempus cum Mercurio Venus, bona commoda ex assidua foelicitate

tate